

10

JESUM,
HOMINIS FILIUM,
DE
HOSTIBUS SUIS
TRIUMFANTEM,
Solemnibus hisce Natalitiis,

Studioſæ in GYMNASIO PATRIO juventuti,
maximo pietatis ardore p̄rpendendum,

tenui ſiſſit proluſione,

M. HENNINGUS WITTE,
ELOQ. ET HIST. P. P.

R I G Æ,
Literis BESSEMESSERIANIS.



E augustissima Gloriosissimi Servatoris nostri Nativitate nonnihil mihi in medium prolaturus Ruffinus, Aquilejensis quondam Ecclesiæ Presbyter, auriculas vellicare videtur: Unigenitus, inquit, DEI Filius de Spiritu Sancto ex Virgine nascitur. Quare mundior hęc locō auditus requiritur, & purior omninō sensus. Huic enim, quem dudum à Patre natum ineffabiliter didicisti, nunc à Spiritu Sancto templum fabricatum intra secreta uteri Virginalis intellige. Et ideò nihil ibi turpe putandum est, ubi sanctificatio Spiritus inerat, & anima, quæ DEI erat capax, particeps etiam fiebat carnis. Nihil ibi ducas impossibile, ubi virtus aderat Altissimi. Nihil de humana fragilitate cogites, ubi plenitudo regnabat Deitatis. Quod si aureis hisce verbis, nec ex mentito Delphorum tripode, sed invicto potius divinarum Legum Oráculo prolatis, ad unum omnes, quotquot unquam fuerunt mortalium, penitus subscripsissent, non sanè tam turbida improborum ubivis erupisset Hæreticorum, verendam ἡ θεοῦ πρόπις personam præfractè impugnantium, colluvies. Quocirca cùm superiori annō unum alterumve orthodoxæ Fidei dogma publicè proposuerim, in præsentī lubet schizmate quædam frivole excogitata male feriatorum vel recensendo retundere κειροφύγετα, quò Dominum gloriæ, de prostratis passim hostibus triumphantem, è fide-

è fidelium grege quiq; videant ac lætentur. Valde auditu mirabile est, docente Chrysoftomô, quod ineffabilis DEUS, & qui nec sermonibus explicari potest, nec cogitationibus comprehendi, per Virginis ad nos venit uterum, & nasci ex muliere dignatus est. Rectissimè exinde Divus Hipponensium Præsul incredulos perstringit Judæos, hæc ipsa salutis Christianæ mysteria nequaquam capientes. Dicite, ait, quomodo arida floruerit virga nucesq; protulerit, & dicam, quomodo Beata conceperit Virgo & pepererit. At sicut nec illi virgæ explicare conceptum; ita nec hic Virginis potuit partum. Quæ cum ita sint, sacrilegam ex animo detestamur obtrectationem Simonis Magi, quem non iniquè Irenæus primogenitum nuncupavit Satanæ, omniumq; Hæreticorum patrem, quod Christi humanitatem, passionem ac mortem, ut fictitiam & simulatam, scelestô infringere ore haud fuerit veritus. Dehinc Basilidianos acutô compungimus stilô, quoniam nostræ gentis Reparatorem merum dixere phantasma, ejusq; locô Simonem de Cyrene crucifixum delirârunt. Acerbè porrò in Saturnianos invehimur, umbratilem duntaxat Domini Passionem asserentes. Abhorremus quoq; ab impiis Valentinianorum technis, qui Christum non è B. Virginis substantia suum assumpsisse corpus, sed de cœlo transtulisse, ita tamen, ut illud per alvum Matris, sicuti per canalem aqua, transferit, frigidè nimis ac inaniter blaterant. Nec mitiori percutimus fulmine tam Cerdonianos, totam salutis nostræ Oeconomiam simulatam, quàm Marcio-

cionitas, spectrum carnis in Christo visum, impudentis-
simè proclamantes. Præterea ferre nequaquam possu-
mus insulas Apellitarum strophas, quibus carnem hanc
non ex matre Virgine, sed ex elementis ἀμέσως compa-
ctam progerminâsse, sibi aliisq; persuadere pueriliter
conantur. Omninò etiam elatò prorsus ac tartareò spi-
ritu docentes rejicimus Appollinaristas, humanum qui-
dem Christo corpus tribuentes, sed rationalis experts
animæ. Manichæos, ex immenso carnis odio, ipsum
nec DEum fuisse, nec hominem, imaginariâ solùm spe-
cie passum ac mortuum, vesanos olim credidisse, non
sine fastidio ridemus. Deniq; ut Anabaptistas, Wei-
gelianos, Enthusiastas, aliosq; id generis fanaticos, de
humana Christi carne satis ambiguè & impiè loquentes,
silentii involvamus sipario, Eutychanos dimittere inta-
ctos heic prohibemur. Hi enim quicquid Christo, ut
homini, assignatur, Theoninò protinus arrodere dente
solent, rati, ante unionem duas quidem ei naturas, sed,
hâc factâ, humanam à divina quasi absorptam, inq; Dei-
tatem fuisse conversam. Verùm enim verò triumphat nunc
de iis omnibus Redemptor noster potenter admodum
& gloriosè, nosq; ut ipsum omni jubilò ac summâ, ceu
decet, veneratione subsequamur, seriò admonet. Per-
sonat & hodie Christianorum aures vox in Concilio Oe-
cumenico IV. Chalcedone prolata: Anathema, qui cum
Eutyche sentit! Hausit autem ille venenatæ ac noxiæ
istius opinionis semina ex Nestorio, qui suâ διουρείαν
sive separatione contendebat; Mariæ Filium haud verè
DEUM,

DEUM, sed θεόφορον vel θεόδοχον, 'deiferum ac Dei esse recipientem, sive, quod idem, filium Mariæ tantum gestari & sustentari à filio DEI, nihilq; inter hos esse commune. Ast ô giganteum furorem! ô blasphemiam inferni ignibus vindicandam! Verbum, quod caro factum, non carnem, ceu larvam, assumpsit, non personam, ut histriones, sibi induit, nec pro cothurno carnem nostram adhibuit; sed in intimum divinitatis suæ consortium illam recepit, ut ibi, tanquam anima in corpore, habitaret. Quis enim nescit, modò attentè sacrum evolverit Codicem, Filio DEI jam incarnato præter divina tribui similiter humana, ut nasci, mori, esurire, sanguinem effundere, in carne conspici? Hæc si omnia in speciem facta dixeris, nihil est tam sanctum, quin confictis subinde tropis eludere possis. Quod si verò de nostro sanguine, de Virgineis visceribus nihil traxit Altissimus DEI Filius, quid, quæso, novem egit mensibus intra materni corporis genitale secretum? Si nihil quicquam in eum de suo transtulit Mater, non Filium peperit proprium, sed profudit alienum. Si Theander noster humanâ caruit carne, quale pro nobis tergum dedit? quam maxillam cedentibus præbuit? quale latus perforârunt milites? quem effuderunt sanguinem? Si umbra, prout horrendæ improbitatis architecti effutiunt, ac phantasma Christus in terris fuit, tum umbratica quoq; & merè phantastica dicenda foret ejus redemptio atq; satisfactio. Inanis eheu! nostra tum esset fides, fallax tota sacra pagina. Virgo hâc ratione nihil concepisset, Angelus nihil annunciâisset, Spiritus Sanctus

non

non supervenisset, nec Sanctus ex Maria natus dici potuisset. Valeant ergò, qui nobis tam pretiosum animæ *κειμήλιον* subtrahere, inq; æternæ desperationis abyssum fideles quoscunq; detrudere cupiunt! Triumphat divina in hunc diem Veritas, lux cœlestis nos undiquaq; illustrat gratiæ, nec densissimis de Religione tenebris involuti huc illuc vagamur. Excogitavit Johannes Bodinus, inter Politicos non vile nomen, novam aliquam in justitia exæquanda proportionem, quam Harmonicam vocat, quæ inter Arithmeticam ferream, & Geometricam plumbeam, media & quasi arbitra, summa imis suavissimò concentu conjungat. Rectius dubio procul inter iratum DEum lapsumq; hominem proportionem invenit Harmonicam ἡ θεάνθρωπον, dum carne indutus carnis sustulit delicta, ac longè separata arctissimò nexu composuit. Factus siquidem ille noster in eadem scena commilito, ejusdem mensæ consalinus, familiaris, amicus, socius, & si quid fratris ac sponsi nomine sit amabilius. Ridet Clemens Alexandrinus Myrmonidum fastum, quem credita extulit Jovis in formicam *μεταμόρφωσις*. Nos cum Augustino non sine ingenti exclamamus stupore: Adverte Homo, qui limus es, nec sis superbus, quod DEO junctus es! Divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione recidere! Gens olim patricia Romanorum pollui videbatur, si cum plebejo sanguine nuptiarum familiaritate consociaretur. Nobis contrà summa est Religio, unitus cum Homine DEUS. Una hîc peccati datur exceptio, cæterà idem ille

ille per omnia nobis similis. Ut homo in mundo; ita cor
 in homine microcosmus est, in quo Christus, ut Sol
 coruscat; hortus est, in quo Immanuel suavissimè
 obambulat, flores virtutum nostrarum avidè colli-
 gens. Objecit Epictetus, Stoicorum constantissimus,
 Græcis: Ecce! ad Olympia proficiscimini, ut Phidix sta-
 tuam videatis, nec magis curæ habebitis, ut vos ipsos
 videatis, qui & quales sitis. Objiciamus nos Græciscanti
 mundo, qui in vanitates ruit & ludibria delirantis seculi:
 Ecce! ad mundana prolabimini, ut idolum videatis Sa-
 tanâ structore conditum, & variis irritamentis pernicio-
 sum. Ecce non eò potius curam intenditis omnem,
 ut hoc divinitatis opus ad vestri refectionem paratum in-
 tueamini? Agite proinde, pia Corcula, Immanuelis stu-
 diosa, agite, inquam, & occurrite DEO, Vobis in Eccle-
 sia, hòc præsertim *θεοφανείων* festò, certissimè obvio, admi-
 rabundi tantam Cœli in nos benignitatem! Apelles nul-
 lum passus est diem diffluere, quin lineam duceret: Nul-
 lum vobis momentum perire debet, quin, densis ad Cœ-
 lum manibus, grates, pro acceptis infiniti boni benefactis, totò
 agatis pectore. Gloriamini, si speritis, in sancta quadam *ἀποθεώ-
 σι* & consortio divini non solum Spiritus, sed & naturæ ac sub-
 stantiæ! Audite Athanasium luculenter de hac felicitate disse-
 rentem: Ut Dominus, indutò corpore, factus est Homo; ita &
 nos homines ex verbo DEI *θεοποίημεθα* i. e. Deificamur. O qua-
 nta hæc gloria! quanta mortalium supra Angelos conditio! Vi-
 dete, ut & in vobis nascatur, qui hodie nascitur DEUS! Vivite
 id, quod residuum est, tēporis DEO, cui religiosum obse-
 quium; Proximo, cui promptum officium, Vobis, quibus san-
 ctum debetis studium, & sic dignè Domini celebrâstis Genethlia,
 Dabam Rigæ d. XXV. Decembr. ANNO CIÒ IOC XXCIII.